

Bl. 12.



81 1860

66

AD ORATIONES  
DE COLONIIS  
LITTERARIIS

D. XXX APRIL. HORA III POSTMERIDIANA  
IN SCHOLA EPISCOPALI  
AVDIENDAS

OFFICIOSE ET HVMANITER  
INVITAT

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS  
RECTOR

---

CIZAE

Exscripsit Fridem. Hetsstädt/Ducal. Sax. Numb. Typogr.

TH.)



**O**mnium eandem humani generis  
 ingenia prae sapientia studio  
 acerrime sed inter quos haec  
 sua sunt. *de deo mundi cap. 14*  
 reter, *de deo mundi cap. 14*  
 ex hominibus natis, quae eorum  
 exordiumque nullum exhibere  
 vero fuisse tempus cum homines  
 & his omnibus participando  
 videtur. Prior illa sententia  
 maximum genus fuisse credunt,  
 thagorian, & Ocellum, &  
 Archyem Tarsentium, omnesque  
 gonicos. *de deo mundi cap. 14*  
 edic. Basil. *de deo mundi cap. 14*  
 videtur. *de deo mundi cap. 14*  
 tunc fabricam dicitur. *de deo mundi cap. 14*  
 autem fabricam dicitur. *de deo mundi cap. 14*  
 mundum fuisse: itaque & humanum genus  
 que in eo sunt, initium non habere, sed  
 semper ae fore. Idem de Aristotele M. Tercius  
 Vero certum lib. 11 de R. R. cap. 1. *de deo mundi cap. 14*  
 etiam sunt principium generum animalium, ut  
 putant Philo. Metaph. & Seno Cretens. *de deo mundi cap. 14*



**N**on eandem humani generis originem prisci sapientiae studiosi crediderunt, sed, inter quos haec quaestio versata fuit, alii, vt Censorinus de die natali cap. i v refert, semper homines fuisse, nec vnquam nisi ex hominibus natos, atque eorum generi caput exordiumque nullum exstitisse arbitrati sunt: alii vero fuisse tempus cum homines non essent, & his ortum aliquando principiumque natura tributum. Prior illa sententia, qua semper humanum genus fuisse creditur, auctores habet Pythagoram Samium, & Ocellum Lucanum, & Archytam Tarentinum, omnesque adeo Pythagoricos. Sed & Plato lib. v i de legibus pag. 567 edit. Basil. ποσῶτον, inquit, χρόνῳ πάντ' ἄνδρα ξυνοεῖν, ὡς ἡ τῶν ἀνθρώπων γένεσις, ἢ τὸ πρῶτον δέχων ἕδεμίαν εἴληχεν, εἰδ' ἔξει ποτὶγε, τελευτῶν, ἀλλ' ἦν τε αἰεὶ, καὶ ἔσται πάντως, ἢ μήκός τι τῆς δέχῃς, ἀφ' ἧ γέγονεν, ἀμήχανον αὖ χρόνον ὅσον γεγονὸς αὖ εἴη.

Nec ipse Aristoteles Lactantio lib. ii Instit. cap. x videtur aliter sensisse. nam Stoici, inquit, *animalium fabricam diuinae solertiae tribuunt: Aristoteles autem labore se & molestia liberauit dicens, semper mundum fuisse: itaque & humanum genus & cetera, que in eo sunt, initium non habere, sed fuisse semper ac fore.* Idem de Aristotele M. Terentius Varro censuit lib. ii de R. R. cap. i. Siue, inquit, *aliquod fuit principium generandi animalium, vt putauit Thales Milesius, & Zeno Cittieus, siue contra*

tra

tra principium horum exstitit nullum, vt credidit Pythagoras Samius, & Aristoteles Stagirites; necesse est humane vite a summa memoria gradatim descendisse ad hanc etatem. Qui vero exordium & certam originem humani generis crediderunt, non eodem modo sententiam suam exposuerunt. Alii enim, fabulis adhærentes Deucalionis & Pyrrhæ, duris lapidibus prognatos homines esse credidere: alii, vt Anaximander Milesius, ex aqua terraque calefactis exortos esse: alii, vt Zeno, Stoicæ sectæ conditor, ex solo adminiculo diuini ignis genitos. Sunt denique, qui quarundam gentium, quæ ex aduentitia stirpe non sint, principes terrigenas esse, quos Græci *αὐτόχθονας* vocant, id est eodem solo, quod incolunt innatos putauerant, cuius generis superbam originem sibi Thessali, Attici & Arcadiæ populi insana stoliditate tribuerunt. De Atheniensibus enim Cicero pro Flacco cap. xxvi tradit, ea vetustate ciuitatem eorum esse, vt ipsa ex sese ciues suos genuisse dicatur. Et Ausonius in Catalogo vrbium:

*Nunc & terrigenis patribus memoremus Athenas.*

Aborigenes Italorum, quos non solum poëtæ fabulati sunt, sed Dionysius Halicarnassæus initio narrationis, & Plutarchus quæstionibus Romanis memorauere, missos in præsentem facimus, meliora ex diuinis Pandectis edocti, quibus fide indubitata est traditum, in Oriente primum hominem

minem conditum fuisse, ex eiusque sanguine  
singulos mortales successione prolis per cuncta  
sæcula propagatos. Sedem antiquissimam ho-  
minum constat in Assyria, Chaldæa & Mesopo-  
tamia fuisse. inde quaqua versus colonias dedu-  
ctas, & antiquiores quidem in Syriam, Phœni-  
ciam & Palæstinam, aut Aegyptum etiam, quæ  
caussa fuit, vt Græci Aegyptios & Phœnices in  
antiquissimis gentibus semper numerauerint.  
Phœnices, quod mare accolebant Mediterra-  
neum, nauigationis studio non in Græciam mo-  
do & circumiectas insulas, sed in Africam etiam  
& Hispaniam colonias diffuderunt: Græci a  
Phœnicibus orti in Italiam, & retro quoque in  
Asiam citeriorem, quibus seminibus iactis vni-  
uersa seges mortalium tot regionibus & populis  
distincta, mirifico incremento ad eam, quæ or-  
bem implet, tum copiam, tum maturitatem suc-  
creuit. Quæ hominum in colonias missorum  
conditio est, eadem quoque est morum, studio-  
rum, litterarum, quæ cum hominibus in alias  
quoque & alias regiones diffunduntur. Cum primis  
litterarum studia mirabilem successionem in diuersis  
regionibus habuere, vt eorum quoque qui colonias  
credit, non faciat, quod a fide historicorum alienum  
est. Primordium nobis vel leuiter attigisse sufficiat.  
Elementa studiorum litterarum apices sunt, quarum  
inventionem Græci nunquam sibi vindicarunt, sed  
Cadmō cuidam, quod Orientalem sonat, se illud bene-  
ficiū

ficiam debere profecti sunt. Iosephus sub initium lib. i  
contra Apionem, οἱ δεχαιοτάτω, inquit, γεγραμμένων τῶν  
χρησῶν εἶναι γέροντες, ὧν καὶ Φοινίκων καὶ Κάδμου σεμνύοντα μαθεῖν,  
*qui antiquissimum litterarum usum esse voluerunt, a Phœ-*  
*nicibus & Cadmo se didicisse gloriantur.* Quod ita verum  
est, ut illustris Vir Iosephus Scaliger in ad Eusebium  
animaduersionibus ex columna antiqua Viæ Appiæ,  
quæ in hortos Farnesianos traducta est, probare ausus  
sit, veteres Ionicas litteras cum scriptura prisca Palæ-  
stinensium, quam Samaritani hodieque seruant, tam  
ductu, quam ordine haud mediocriter consentire. Ex  
litterarum illa comparatione colligit vir iste summus,  
Græcas litteras ex Samaritanis ortas esse, & ex Græcis  
Latinas. Hoc adfirmat Tacitus Annali XI cap. XIII  
*Aegyptii, inquit, litterarum semet inuentores perhibent:*  
*Inde Phœnicas, quia mari præpollebant intulisse Græciæ,*  
*gloriamque adeptos, tanquam repererint, quæ acceperant.*  
*Quippe fama est, Cadmum classe Phœnicum vectum ru-*  
*dibus adhuc Græcorum populis artis eius auctorem fuisse.*  
*At in Italia Etrusci ab Corinthio Damarato, Aborigenes*  
*Arcade ab Euandro didicerunt, & forma litteris Latinis,*  
*quæ veterrimis Græcorum.* Plinius id αὐτοψία lib. VII cap.  
LVII confirmat, *Gentium, inquit, consensus tacitus pri-*  
*mus omnium conspirauit, ut Ionum litteris uterentur. Veteres*  
*Græcas fuisse easdem penè, quæ nunc sunt Latina, indicio*  
*erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in palatio,*  
*dono principum Mineræ dicata.* Quæ cum ita sint, non  
dubium est, quin a Phœnicibus per orbem terrarum  
sint litteræ disseminatæ, quamuis nec Phœnices pri-  
mos earum auctores esse dixerim. nam prorsus cre-  
dibile est, in Eberi posteris. quæ sola gens supererat  
Deo deuota, sacrorumque obseruans rituum, inuen-  
tam esse hanc vtilissimam scribendi rationem, ac per  
colonias aut patriarcharum migrationes in Phœniciam  
esse




esse deportatam. Quæ litterarum propagatio per colonias fuit, eadem fuit etiam studiorum disciplinarumque, utpote quæ in litterarum scriptura fundamentum suum & conseruationem habent. Orienti rursus originem debemus: orienti acceptum fert Græcia: Græciæ Italia, Asia cis Taurum, Pontica regio & Cyrenaica: Italiæ, rerum per Romanos dominæ, Gallia, Hispania, Germania, & aliæ tam Septentrionis quam Occidentis prouinciæ. Nam quod Cicero de eloquentia dixit (de claris Oratoribus cap. XIII) postquam semel ex Piræo euecta sit, omnes peragrasse insulas, atque ita peregrinatam tota Asia fuisse, ut se externis pæne obliueret moribus; id de ceteris etiam disciplinis studiisque intelligendum esse iudicamus. Est enim omnium artium, quæ ad humanitatem pertinent, commune quoddam vinculum & eiusmodi societas, ut diuelli a se, & interuallis locorum separari ægre patiantur. Cum ergo Græcis Romanisque cultum eloquentiæ & philosophiæ debeamus; quis inficias ibit, eisdem gentibus reliquas quoque disciplinas deberi, sine quibus nec eloquentia esse potest, neque vlllo modo consistere vera & ad animum expoliendum nata philosophia: quæ ita tamen decernimus, ut ne obliuiscamur ipsarum Orientis gentium, quas Græci magistras habuisse non minus in ceteris artibus, quam in inuentione elementorum, nunquam non grata memoria professi fuerunt. Quo pacto id per singula sæcula, perque singulas regiones & prouincias peractum propagatumque fuerit, id nostri propositi iam non est declarare: alii vero, quibus id commissum est, hoc die circa tertiam meridianam horam enarrabunt: iuuenes nempe ingenio, doctrina & moribus ornatissimi, quibus constitutum est, quando tum suorum voluntate, tum illorum consensu, qui res scholæ administrant, in Academiam tanquam in nouam colo-


colo-

coloniam migraturi sunt, de *coloniis litterariis* vltimum in  
schola officium præstare. Horum commendationi hoc  
fatis fit argumentum, si salua fide mea, quæ cara mihi  
semper est, hoc adiecero, ita se eos sub disciplina mea  
probos & industrios assidue præstitisse, vt mecum, qui  
mores & studia eorum regebam, nunquam in gratiam  
redierint: atque ita certasse inter se tam ingenii cultu,  
quam morum honestate, vt dubium mihi prorsus sit,  
quisnam illorum vel discendi cupiditate vel amore recti  
anteferri queat. Officium hoc supremum ita disposue-  
runt, vt IO. EHRENFRIEDVS Schackwitz / Numbur-  
gensis, *coloniis litterarum orientales*: CHRISTIANVS  
Gesche / Cizensis, persimiles *coloniis Græcorum*: IOAN-  
NES denique ERNESTVS von der Lage / Vinariensis,  
*Romanorum* industriam in propagandis litterarum stu-  
diis, non sine laude cuiuslibet gentis, conditricis huius-  
modi coloniarum, enarraturus sit. Quod nostrum of-  
ficium est, patronos & fautores Musarum, qua par est  
obseruantia & humanitate rogamus, vt quod semper  
fecere, nunc quoque voluntatem suam erga præcla-  
ras litteras tam sponte sua, quam nostris precibus per-  
moti declarent, & breui tempore hos adolescentes,  
non indiferte de honesta & iucunda re peroratorios,  
exaudiant: quibus quantum in nobis est, omnia adpre-  
camur, quæ in bene moratos atque eruditos huius æta-  
tis homines conferri vota precesque a præceptore  
possunt. P. P. Cizæ pridie Kal. Maias MDCLXXXVII.










Nr 3165


8  
80

1007

1007







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



1860

66

ATIONES  
LONIIS  
ARIIS

III POSTMERIDIANA  
EPISCOPALI  
NDAS

HVMANITER  
AT

VS CELLARIVS  
OR

E  
cal. Sax. Numb. Typogr.

M.H.)

